

27
818
R

Q. F. S. F. Q.
DISSERTATIO ACADEMICA,
**STULTITIAM
ATHEISMI,**
PSALMO XIV: v. I. INNIXA,
EXHIBENS,

QUAM,
*Suffragante Ampliff. Facult. Philos. in Regia ad Au-
ram Academia,*

PRÆSIDE,
VIRO CELEBERRIMO
**CAROLO ABRAHAMO
CLEWBERG,**

L. L. O. O. & Græc. PROFESS. Reg. & Ordin.

Nec non

Acad. Aboëns. h. t. Rectoris Magnifico,

PRO LAUREA,

Publicæ bonorum censuræ subjecit

JOHANNES STRÄHLMAN Petri Fil.

WIBURGENSIS,

Die, XXII. Decembris, Anni MDCCLV.

Loco, Horisque ante merid. solitis.

ABOÆ, Impressit Direct. & Typogr. Reg. Magn. Duc.
Finland. JACOB MERCKELL,

SACRÆ CÆSAREÆ
MUSCOVITARUM MAJESTATIS

MAGNÆ FIDEI VIRO

Maxime Reverendo atq; Amplissimo;

**D_N. M_{AG}. FABIANO N.
G U D S E O,**

Ministerii ecclesiastici per Diocesin Friedrichs-
hafniensem Rutenorum, PRÆSULI,
Eminentissimo,

Eccles. Weckelaxensis ARCHI-PRÆPOSITO
Gravissimo,

Venerandi Consistorii PRÆSIDI
Adcuratissimo,

Scholarumque per Diocesin EPHORO
Vigilantissimo,

MÆCENATI SUMMO.

INter ea, quæ divina adspirante gratia;
vitam nobis felicem prosperamque red-
dere possunt, certe non minimum habet
mo-

momenti Patronis optimis uti & Promotoribus, quibus res fortunasque nostras, immo nosmet ipsos, tuto commendare queamus. Talem in TE, Maxime Præful, mihi jam non heri primum vel nudius tertius venerari licuit. De meritis Tuis in Patriam, Ecclesiam, clientesque benevolentia singulari quid loquar, cum omnium ore veritas hæc decantetur? Pia tantum mente singula recondere præstat, ne nitorem, quo Tua fulgent præconia insufficienti oratione obfufcare videar. In ceteris eminent favor insignis, quo scientias, artes ingenuas, assiduosque earum cultores, profèqui soles. Hoc in primis excitatus ac suffultus ego met venerationem atque observantiam jam diu TUI & suscepi maximam, & omni nisu in id nullo non tempore incubui, ut animum TIBI addictissimum aliquando publice, modo, quo clientem potissimum dece-
ret, testari possem. Cum ergo nunc hoc TUI nominis splendore illustrare audeo opusculum, omni nitore prorsus destitutum, humillime rogo, munusculum hocce TIBI displicere nolis, quin potius sereno adspicias

cias vultu benigneque recipias pagellas,
quas in animi venerabundi pignus Tibi
Mæcenas summe, dicatas consecratasque
esse volui certissimum. Meum erit Deum
O. M. precibus indefinenter rogare calidissi-
mis, velit TE quam longissime saluum so-
spitemque servare, in Ecclesiæ emolumen-
tum, rei litterariæ decus, Familiæ nobilissi-
mæ solatium, clientumque patrocinium cer-
tissimum. Ero, dum vixero

Maxime reverendi atque amplissimi

NOMINIS TUI

cliens humillimus,

JOH. STRÄHLMAN.

Dem
WohlEdlen und Insonders HochzuEhrenden
Herrn Gouvernements Cammerier
Herr C A R L
DICHÆUS,
Meinem Werthgeschätzten VaterBruder.

Soßenen Wohlthaten hal-
und danckbares Herzens zu
ligkeit. Ihr, Meine Herrn,
dere Bewogenheit, und viele erzeugte
verpflichtet gemacht; weil ich Euch
Auferziehung in den jüngern Jahren,
werden des-wegen mirs nicht verübe-
Danckbarkeit und Ergebenheit gegen
Annehmet diese geringe Arbeit, die
und VaterBruder zum Zeichen mei-
und laßet Euch noch vorthin wie bis-
gen seyn. Ich
Dero WohlEdlen und In-

Demüthig
JOHAN

Dem
WohlEdlen und Insonders HochzuEhrenden
Herrn Cammerier

Herr **J O H A N**
WADSTEN,

Meinem Wärrhgeschähten GroßVater.

ber, ein erkentliches Gemüth zu hegen
seyn, fordert das Recht und die Bil-
seid die jenigen, so durch Eure beson-
Wohlthaten, mich gegen Euch ewig
nechst meinen lieben Eltern meine
insonderheit zu danken habe: Sie
len, ob ich diese gelegenheit, meine
Euch an den Tag zu legen, gebrauche.
ich Ihnen, Mein Herr GroßVater
ner Erkentlichkeit, überreichen thue,
her, mein Glück zu befördern, angele-
verharre

sonders HochzuEhrenden

ger Knecht,
STRÄHLMAN.

VIRO Admodum Reverendo atque Præclarissimo,

**D_N. MAG. PAULO
KROGIO,**


Eloquentiæ LECTORI ad Reg. Gymnasium, quod Borgox floret, meritissimo, nec non venerandi Consistorii ibidem AD-
SESSORI adcuratissimo,

Avunculi loco omni veneratione colendo,

Viros, eruditione claros & de re litteraria bene meritos, nominasse saltem, laudare est. Tuorum ergo nunc, Avuncule Optime, meritorum agere præconem nec opus, neque proposito convenit meo. In alios hanc derivare volo provinciam, qui debito eloquentiæ adparatu eandem ornare possunt. Id unice mihi conveniens duxi, ut hac tandem vice, publice animum erga Te gratissimum pro variis immo innumeris declarem benevolentiae documentis. Per triennium enim, quo in domo Tua honorifica mihi versari & Te Præceptore uti mei studiosissimo licuit, favorem & curam Tuam singularem sum expertus. Te duce scientiarum limina calcavi, & si quid in iis eo tempore profeci, ejus partem præcipuam tuis curis, tuo indefesso studio debere memet ingenue profiteor. Cui proinde majore cum gaudio ac voluptate opellam hanc, ingenique mei qualemcunque fructum, cujus ipse sementem fecisti, quam TIBI, Avuncule Optime, dicare ac consecrare deberem? Tu vero benigne suscipias pagellas hæc maximum in modum rogo, quas mens gratissima TIBI offert, & nunquam favere, designas ei, qui dum vixerit, permanebit

Admodum Reverendi atque Præclarissimi
NOMINIS TUI

cultor observantissimus,
JOH. STRÄHLMAN.



I. N. D.

PROOEMIUM.



Uo potissimum sunt avia, in quæ Charybdin evitans in Scyllam incidere sivevit homo, ratione non recte utens, in formanda notione entis, quod omnium principium primum & causa efficiens sit, Atheismus nimirum & superstitio. Hæc vitium est, quo in excessu, ille, quo in defectu peccari solet. Superstitiosus namque, eventus naturales cum supernaturalibus confundens, divinitatem rebus creatis, hos vel illos effectus producentibus seu producturis, adscribit, inque illis cultum religiosum quærit. Atheus e contrario omnem tollit divinitatem, nec cultum ullum admittere vult religiosum, quare, uti ille in nimio timore ac servitute, ita hic in libertate nimia, versatur. Atque hic error, quamvis admodum sit detestabilis

A

men-

mentisque prodat insanitatem, natales tamen suos jam hominibus primorum temporum debet, & quasi ex femine fructifero per omnia propagatus est secula, insinuavitque se, non solum apud eos, qui cognitione vera Dei cultusque ejus destituti fuerunt, adeoque facilius in tenebris ambulantes, e recta via aberrare potuerunt, verum etiam apud illos, quibus in medio & testimonia naturæ & revelationis lumen sunt. Hi apertis oculis periculo se exponunt & naufragium faciunt. Mirum, quod ne ille quidem populus, qui ab ipso Deo nomen sortitus fuit, qui tot beneficiorum divinorum scopus, & tantæ providentiæ gubernationisque singularissimæ exemplum extitit, his caruerit: ostendunt hoc verba Psalmi XIV: v. 1. אִשְׁרַי בְּכָל יוֹמִי אֲנִי אֱלֹהִים Dum ergo, quod David olim, divinitus illuminatus, de ipsis dixit, etiam de nostri ævi atheis prædicare ac demonstrare sustineo, paucissimis hisce pagellis, benignitatem Tuam, L. B. officiose expeto.

§. I.

Aθεος sive Atheus ex *a* privativo & θεος compositum, hominem sine Deo, creaturam sine creatore, effectum sine causa significat, atque, uti ipsum nomen contradictorium est, ita absurditatem suam, jam fronti quasi injustam, præ se fert & extra omnem obscuritatem ponit. Apparet hinc *Atheismum* non esse aliud quam falsam

sam de non existentia Dei hypothesin, & *Atheum*, qui Deum negat, seu falsæ isti hypothesi de non existentia Dei, innititur. Deus est Spiritus infinitus a mundo diversus, qui in se continet sui ipsius totiusque universi rationem: Ergo in eo totus rei cardo vertitur, ut neget hunc mundum, qui pro complexu entium omnium contingentium, coëxistentium & successivorum, sumitur, agnoscere ens extra se, quod ejus in se contineat rationem h. e. causa omnium prima & efficiens sit. Hinc, vel totum universum, ex fortuito particularum numero infinitarum concursu, derivat: vel, ens quidem aliquod numero diversum admittit; vinculo tamen necessario mundo adstrinxit & ipsum, fatalissimo subjicit: vel, ipsum universum Deum facit & immutabiliter ab æterno ita extitisse qualis nunc est, nugatur: vel denique cum Academicis & Pyrrhonistis omnia in dubium vocare satagit, incertitudinem, vel in rebus ipsis vel in intellectu cognoscente ponens, se nihil scire, ne id quidem, quod nihil sciat, fateatur. Accedit quoque ultimum istud hominum genus, quod sine verecundia quidem Deum, vel in corde h. e. cogitationibus, vel expressis verbis simul, negat; attamen eventuum rationes reddere nec novit, nec de eo sollicitum est. Cum ergo ita, vel gradibus cognitionis vel malitia, differant inter se Athei, divisio quædam, ut majorem tractationi accendamus lucem, præmittenda erit.

Distingvi solent Athei communiter, in *Idiotas*, *Scepticos* & *Grassos*. *Illi* sunt, qui nesciunt, *Isti*, qui dubitant, *Hi* vero, qui negant, existere Deum. Primum vero genus verum nomen Athei mereri, dici non potest, quatenus intellectus usu, eousque nondum ascendit, ut de existentia Dei, vel dubitare, vel quæstionem instituire, potuerit. Scepticus vero hanc non effugit notam; quamvis enim dubitare non sit negare; tamen hac in re, dum nimirum religio, ex idea Dei formanda, spectatur, idem valet, ac prorsus negare.

Athei negantes existentiam divinam, negare illam satagunt: vel sola mentis cogitatione, vel expressis verbis simul, vel ipsis tantum factis: ergo tres horum oriuntur species: *Hos practicos*, *Istos Systematicos* & *Illos personales*, nominamus. *Athei Systematici* & *personales*, communi nomine *Theoretici*, nominantur. Qui proinde & mentis cogitationibus & expressis verbis, negant Deum, & ea propter semper Athei quoque practici sint, necesse est, utcunque sint aliquando hypocritæ; *Practicos* vero, κατ' ἰξοχήν sic dictos, *Theoreticos* esse, affirmare non licet; Annumerantur enim his omnes impii, de quibus non magis constat, quam quod externe securi & de religione minus solliciti, vivant. *Athei theoretici systematici* iterum, vel *directi* sunt, qui expressis verbis negant Deum, sive quod idem est, dogmata tradunt, quæ immediate sensum divinitatis tollunt, vel *indirecti*, qui

qui dogmata tradunt existentiae divinae inimica, ex quibus modo quocunque argumenta contra Dei existentiam, derivari ac deduci possunt. (a) Athei theoretici personales denique sunt, vel *Cras-si*, qui omni loco, statu & tempore certo sibi per-suadent, & plena mentis convictione monent, Deum non existere, vel *Sceptici*, qui respectu to-tius vitae suae Deum plena convictione negare non possunt, sed aliquando saltem in ancipiti haerent.

Solent quoque *Athei Theoretici* ab aliis qui-busdam dividi: in *Rudiores* & *Philosophicos*, *Illi* sunt, qui caeca affectuum praedominantia & pra-vo seculi habitu abrepti, illuc deducuntur, ut per-suadeant vel persuaderi velint, nullum esse Deum, etsi sententiam nullis rationibus superstruere pos-sint, nec de eo solliciti sint. Hujusmodi perfrictae frontis Athei praesertim in militia & aulis inve-niuntur, quibus ab infantia non litteris bonisque artibus; sed licentiae potius, tempus impendere li-cuit. Athei *philosophici* sunt, vel *sceptici*, qui de nulla re, ergo nec de existentia Dei, certi sunt, vel *dogmatici*, qui negato Deo ejusmodi assumunt

A 3

syste-

(a) In hoc vero imputando atheismo, cautio omni-no adhibenda est, ut distinguatur inter Atheismum *Auctoris* & *doctrinae*, ne isti homines eorum deducantur in nume-rum, qui id revera non sunt; Sed si ex dogmatibus peri-culosum quid sequi posset, vel nexum non perspexerunt, vel, modo modeste informati & de dogmate reprehensi fue-rint, mox se emendaverint, vel sententiam explicaverint.

systema, per quod rationes & causam ad singulos in mundo eventus, reddere queant. Atque hi, pro ratione diversorum systematum, iterum diversi sunt, ut speciali nomine vocari possint, vel I:o *Aristotelici*, qui mundum innumeris sphaeris circumvolutum esse statuunt, quas, certæ intelligentiæ, vinculo necessario atque indissolubili iis adstrictæ, moverent, harum motor supremus ipse Deus esset, a quo reliquarum omnium vis movendi dependeret, quique forma mundi adsistens h. e. ut rector in puppe navis, concipiendus foret. Vel II:o *Stoici*, qui etiam, Deum animam mundi statuentes, eum vinculo necessario ei alligant, & ut formam mundi informantem e. g. animam in corpore, concipiunt, & eo ipso quoque eum legibus fati una cum tota natura, subjiciunt. Vel III:o *Epicurei*, qui, omnem substantiam simplicem negantes, & innumeras particulas corporeas infinite parvas ab æterno existentes, & in infinito spatio vacuo vi gravitatis suæ fluctuantes easdemque motu perpendiculari & declinante latas ac concurrentes, dum ponunt; nullam aliam hujus mundi causam efficientem, quam fortuitum atomorum concursum, admittunt. Vel denique IV:o *Eleatici* sive *Spinozistæ*, qui unicum tantum substantiam materialem admittentes, ipsam naturam Deum faciunt, duobus attributis primariis, extensione videlicet & cogitatione, præditum, res vero singulares nihil aliud, quam hujus totius modificationes esse contendunt, quæ hoc vel illo

illo modo Deum i. e. naturam exprimerent. Ceteras Atheismi divisiones: in *proprium & alienum*, in *verum & falsum*, *occultum & manifestum* &c., quæ in scriptis philosophorum sparsæ occurrunt, studio præterimus. Confr. impr. Budd. Thef. de Ath. & superst. Cap. II. pag. 202. Et Walchii Philosoph. Lexicon sub titulo Atheisterey.

§. III.

PRæstructis his, propius ad tractationem accedere licebit. Verba Davidis solum ad practicos Atheos referenda non esse, sed omnino theoreticos quoque indigitari, patescit; cum hi primario & per eminentiam quasi stultorum mereantur nomen, & alibi, dum varia illius Atheismi enumerat vitia, hoc Psaltes non utatur caractere. Verbis enim אמר כלכו in primis indigitari voluit, hunc errorem ex sola malitia & corruptione voluntatis extraordinaria, trahere originem. Quare, etsi hic, in controversiam de intellectu, an vero voluntate emendanda, incurrere non sit animus, magis tamen hos puta Atheos, vitio hujus quam illius laborare, censeo: cum, si vel maxime falsitatem assertionis suæ perspiciant & argumentis feliciter vincantur, nihilominus sententiam suam tenacissimi ex mera superbia, tueri conentur, unde evenit, quod tam raro fructus ex armis contra ipsos motis, sentiatur. Ideo tamen ita diffidentes in illis adgrediendis, & leves iterum

iterum erga scepticos esse nolumus, ac Cel. Stapfer. in Theol. Polem. T. II. p. m. 587. seqq. quando hunc in modum loquitur: „Licet perinde videatur, num aliquis Deum existere expresse neget, & animum contra hanc veritatem obfirmet; an vero Deum esse tantum dubitet; tamen si prius quis faceret, majoris perversitatis ac malitiæ accusandus esset, quam ille, qui intellectus sui corruptione atque infirmitate adductus fluctuat, & ut ad majorem certitudinis cognitionis suæ gradum perveniat, summis viribus annititur. Priores, *ait porro*, veritatem agnoscere nolunt, sed potius illam evitant, unde etiam frustraneus esset conatus noster si argumentis eos debellare vellemus; Posteciores ex fluctuationibus suis emergere sæpius conantur, & argumenta conquirunt, quibus sua removeve queant, his ergo auxilium ferendum ne naufragio suo inviti pereant. Cum ergo non sceptici minus ac systematici & personales, objectum nostrum evadant, tria momenta potissimum observabimus:

I:o *Quia Athei personales (aliis speculativi vocantur) dari non possunt: Ergo ideam Dei, quæ naturalis est & effectus in anima necessarius, frustra extirpare satagunt.* II:o *Argumenta eorum contra divinitatem carent omni fundamento, quemadmodum petitiones principiorum & vitia subreptionum, continent.* Et III:o *hypothesis eorum medium est absurdissimum & minime conveniens ad tranquillitatem animæ h. e. felicitatem obtinendam, quam tamen ea intendunt.*

§. IV.

§. IV.

Im Mom. Atheos personales crassos seu speculativos dari, non est possibile: Ergo stulti sunt Athei sese animæ operationi frustra opponentes:

DEM. **E**st homo animal rationale sive ens, quod & corpore organico & anima rationali præditum est. Et quoniam corpus seu compositum cogitare h. e. ideas sive repræsentationes, quibus objecta a se invicem & se ab iis distingvat formare, non potest: Ergo simplex sit anima necesse est. Confr. Impr. Bülfing. Diluc. §. 271. & Valerii dissert. de inept. mat. ad cogit: Ita quoque simplicitatem animæ optime demonstrat Burnetus eundo per singulas mentis operationes, quarum ratio ex compositis nullo modo reddi potest, de quo confr. Vinc. Psychol. §. §. 746. 747. in not.

Demonstrata sic animæ simplicitate, eam simul spiritum esse debere h. e. substantiam intellectu & voluntate præditam ex facultatibus his, quas possidere experimur, certo concludere possumus: Ergo ad ea, quæ ei constanter insunt attendentes jure essentiam ejus in *intima sui sensatione conjuncta cum nisu conservandi se ipsam, sive vi intrinseca, qua se ipsam suosque actus percipiendo, in suam statusque sui perfectionem tendit*, ponimus. Atque hæc vis uti essentialis, ita inseparabilis semperque actiuosa est; cum enim anima *subjectum determinationum constantium & mutabilium sit, substantia est & vi agendi gaudet*, quæ semper remo-

tis impedimentis actuosa est. Est vero anima substantia simplex ex init. §. quæ unica tantum agendi vi gaudet, (plures enim vires si poneret, plura quoque istarum subiecta essent admittenda) Ergo, quoniam unica vis sibi ipsi obicem imponere nequit, semper actuatur seu vivit anima, vel quod idem est: posita anima ponuntur repræsentationes, ut sentiat se & suos actus, etsi hoc adhuc obscure tantum fiat & distinctio idealis nondum adsit, quamdiu attentio & reflexio defunt. Definimus ergo *animam* quod sit, *substantia simplex se suasque mutationes sentiendo in conservationem sui tendens, ordinata ad constituendum in unione cum corpore unum ens compositum.*

Essentia est, conceptus rei primus constitutivus, cætera, quæ enti insunt, vel inesse possunt, determinans: posita ergo hac animæ essentia ceu determinante, ponendæ quoque sunt ideæ innatæ sive naturales utpote determinatæ. Has non imagines menti instar ceræ impressas, sed *repræsentationes, quas insita & naturali sua vi, se ipsam suosque actus sensu intimo & essentiali percipiendo, intuetur,* esse affirmamus: Quæque, ceu diximus, etsi semper claræ & distinctæ non sunt, reales tamen sunt. Dividuntur hæ ideæ in *primitivas & derivativas.* *Illæ* sunt, quæ ideas omnes partiales, sensationem sui ingredientibus & constituentibus, absolvunt, ut quoque, quæ ex eadem sui sensatione proxime & immediate eliciuntur. *Hæ* vero, reliquæ omnes ideæ sive complexæ sive incomple-

xæ,

xæ, clare vel distincte repræsentatæ exque primitivis illis legitimo ratiocinio deductæ. Hæ diversos admittunt gradus, prouti nimirum magis vel minus ad habitum deducitur ratiocinandi facultas. Itaque ex his jam, primitivas omnibus communes esse & æquales, derivativas vero non omnino item, patet.

§. V.

EXposita sic animæ natura, facilius ut spero, ad quæstionem inter Doctos vexatam: *Num notitia Dei insita sive comata detur?* respondere audemus. Athei ad negandam hanc thesin omnes intendunt nervos; Sed habet anima suas ideas sibi implicatas atque involutas, §. IV. quas, maturescente judicio & usu intellectus, in commercio cum corpore magis in actum erumpere & quasi evolvi, experimur, ita ut accedente attentione, reflexione, idearumque clariore distinctione, cognoscat se sive sui sibi conscia sit: ergo etiam tum eadem vi naturali limites suos, quibus circumscripta est, perspicens, illuc tandem deducatur, ut se non esse necessariam, *quæ rationem sui in se ipsa contineret*, agnoscat, necesse est. Sed, quia simul sentit nihil esse sine ratione sufficiente: Ergo prius acquiescere non potest, quam eandem apud se ipsam non inveniens, extra se quærat, & quidem in alio quodam ente, quod, ne progressus rationum insufficientium in infinitum admitta-

tur, ad sufficientem vero nunquam pervenire detur, ita comparatum esse perspicit, ut ipsum necessarium sit & sui in se rationem contineat h. e. Deus sit: *Datur ergo notitia Dei insita*, quam vi præmissorum per *facultatem animæ ex intima sui sensatione eruendi idiam Dei*, definimus. Atque hæc facultas quatenus magis magisque in actum erumpit, non sine fundamento omni a quibusdam per *quandam habitui analogam* exprimitur, definiturque, quod sit *illa lux intellectus, qua quisque adjutus, veritatem communium de Deo notionum apprehensis earum terminis, statim citra discursum perspicit, iisdemque assensum indubitatum præbet.* Bentz. Epit. Rep. Theol. C. I. §. 7. Maxime hoc ipsum quoque vindicat locus Rom. II: v. 15. *Τὸ ἔργον τῆ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν* &c. Si enim Ethnici verbo Dei (revelato) destituti, præcepta legis in cordibus suis inscripta habuerunt, omnino etiam præceptum illud de colendo Deo ut legislatore maximum & primarium adfuit, cultus vero necessario notitiam ejus, qui eo prosequendus est, supponit, ergo habuerunt quoque eam necesse, & hoc ipsum est, quod idem Apostolus in Cap. I: 19. indicat, quando dicit: *Τὸ γνωστὸν τῆ Θεῶ φαιεργὸν ἔστιν ἐν αὐτοῖς* &c. Aurea prorsus in hanc materiam sunt verba Cel. Walchii, quæ in Lex. suo Philos. sub Tit. Atheisterey ita habent: „Sollte auch ein gleich nicht mehr nachsinnen können oder wollen/ so wird ihm doch sein eigen Gewissen ohne sein bemühen und wieder seinen willen sagen: Dasz

„Dass ein Gott sey. Die innerliche empfindung und die natürliche neigung zu dem Satze dass ein Gott sey / kan niemand aus seinen herzen reissen / wen er gleich mit dem Munde sagt: Er fühle davon nichts.“
 Neque minimum Thesi nostræ addit robur argumentum ex communi omnium populorum consensu desumptum, quod optime explicuit Krügerus in Theol. sua Nat. nuper edita. Adeo enim omnibus, quorum memoria extat, seculis in eo consensere terrarum populi, ut crederent numen aliquod extare colendum, ut maluerint vel astra vel belluas vel denique ligna & lapides pro Diis habere, quam nullum numen, nullam religionem agnoscere.“ sunt verba *Crellii* Sociniani apud Hoffm. in Theol. Dogm. C. de Theolog. p. m. II. Fuerunt, qui huic argumento probabilitatem tantummodo externam tribuerunt, sed explicent velim, unde veniat, quod nulla fuerit nec detur gens, quæ non sensum quendam divinitatis habuerit, & etsi quædam, ut gentiles, in modo colendi Deum, errarunt, tamen ipse sensus divinitatis intimus, verus fuit.

§. VII.

Habet homo cognitionem de Deo agnoscitque suam ab eo dependentiam, §. V. ergo etiam se actiones suas ejus voluntati conformes reddere obligatum esse invenit, h. e. sentit apud se legem five voluntatem illius Dei in ipsa natura manifestam,

statam, cui actiones suas liberas conformare obligatur. Ubi vero in una parte obligatio ibi in altera jus est, ergo quoties illud violat lædit alteram & contra: quia vero anima sentit se & suas mutationes §. IV. ergo etiam facultatem habet legem illam ad facta sua propria applicandi, vel, quoniam congruentia vel dissensus actionis cum lege, ejus moralitas vocatur, hæc vero vel bonitate vel pravitate absolvatur, gaudet, *facultate judicandi de moralitate actionis propriae*, gaudet *conscientia* (moraliter spectata). Quæ facultas, quantum aliquando dormiens esse possit, tamen semper actuosa est, nec partium studio regitur, ita ut, etsi homo vel maxime vellet actionem quandam patratam, quam revera ut malam sibi repræsentat anima, coloribus obducere atque excusare, eam nihilominus ceu malam damnet. Hinc *conscientia accusans* vocatur, unde deinde *morsus conscientie* sive sensationes animæ ingratae vehementiores ex repræsentatione pravitatis actionis propriæ, oriuntur, quare *impii multas habere plagas* Psalm. XXXII: 10. dicuntur. Atque ex his denique *conscientia reclamans* sive iudicium, quod, quando actionem legi contrariam suscipere vult, rationes ei contrarias repræsentat, oritur. Athei ergo Deum negantes vel negare volentes semper ipsi animæ meliori cognitioni repugnant §. V. quare si ejusmodi numen tamen extaret, se illud violare percipiunt: ergo semper conscientiam habent & accusantem & reclamantem,

ita

ita ut sæpissime apud se cogitationes Deum ponentes sentiant, vel saltem ut solliciti sint de quaestione: *annon tamen ens summum extra hoc univ-
sum credendum sit?* Ex his ergo jam allatis patet, *Atheos, qui in omni statu loco & tempore plena mentis
convictione Deum negare audent, h. e. personales
crassos, dari non posse.* Quis itaque jure nobis quid-
quam objecerit, si auctoritate viri sapientissimi Davi-
dis innixi, hos stultorum nomine insignimus, dum illud ex anima sua extirpare & annihilare fatagunt, quod tamen vi essentiae modo inseparabili eidem conjunctum atque adhærens est. Optime ergo lau-
dato Walchio assentimur, qui loco cit. porro ita loquitur: *“In ansehung sein selbst ist vorans zu-
sehen/ daß nichts närrischers und unvernünfftigers
als die Atheisterey kan ausgedacht werden/ wenn
Leute/ welche den ruhm großer Scharfsinnigkeit
suchen/ wieder die deutlichsten grundsätze streiten.”*

§. VII.

II:o SE offerunt argumenta eorum non minus stultitiam indicantia, quæ potissimum tres impugnant veritates nimir. (α) *Existentiam Dei ut entis perfectissimi, a mundo hoc adspectabili diversi.* (β) *Divinam scripturæ sacræ originem, &* (γ) *simplicitatem immortalitatemque animæ humanæ, consequenter etiam spem futuræ vitæ.*

§. VIII.

§. VIII.

(a) **C**ontra existentiam Dei, dicunt hominem nullam habere notitiam de Deo insitam, nec repræsentare sibi posse dari ens nulla extensione attamen essentia infinita præditum; contradictorium enim esset, concipere Deum simplicem, omnis divisionis & materiæ expertem, similem puncto mathematico & simul infinitum. Alii cum *Lucio Caro* ex usu & fine rerum creatarum: ac varia in mundo reperirentur, de quibus dici nequeat in quem usum homini creata sint, quare nullius utilitatis, quin potius incommodo existerent, E. g. montes, colles, lapides, loca deserta, maria immensæ magnitudinis &c. quæ tamen præcipuam terræ partem occupant: Ergo potius fortuito ita evenisse, quam ab ædificatore sapientissimo ordinata esse viderentur, III:o *gubernationem & providentiam divinam ore suo malitioso adoriuntur*, quam nullam dari ex innumeris illis malis, tam physicis quam moralibus, hominem concomitantibus cum Epicuro ita concludunt: Aut Deus nec vult nec potest tollere malum, aut potest sed non vult, aut nec potest nec vult, aut vult & potest: si vult & non potest, impotens est, si vero potest sed non vult invidus est, si vero nec potest nec vult, & impotens & invidus est, quod neutrum in Deum cadere potest, si ergo & vult & potest, quod solum in Deum cadere deberet, cur ergo eveniunt tot mala, cur non impedit malum? Hoc argumento se omnium os jam ita obturas-

turasse gloriatur, ut nihil amplius contra eos moliri quisquam audeat; sed teneamus ultimum, quod Deus & velit & possit impedire malum, at nihilominus ex infinita sua sapientia permittat, intuitu majoris boni, vel ratione creaturæ & Dei, vel saltem ratione Dei, exinde orituri; omnia enim ad fines optimos dirigit, dum intellectu suo perfectissimo illud respectu totius bonum esse & omnino permittendum modo majus bonum obtineatur, quod tamen respecta partis malum sit, distinctissime perspicit, plura evolve in Carp. Theol. Nat. Cap. de perm. mali §. III. seq. Nec video absurditatem in infinitudine entis simplicis, dum composito hoc tribui nequeat prædicatum, quatenus partes extra partes habet, & majus vel minus concipi potest h. e. in infinitum incrementi capax est; puncto vero mathematico similem Deum quis ideo dicat, cum ens distinctum per se subsistens sit, illud vero in aliis & intellectu repræsentantis tantum existat. Quod vero ad maria vastissima, colles, montes &c., cum eorum utilitas imo necessitas in hoc rerum systemate maxima, explorata jam inter Philosophos sit veritas, nihil eo, nisi imperitiam & nimiam in judicando neglecto examine festinantiam, produnt. Si enim recte ad stupendam illam rerum varietatem, ordinem tamen optimum, harmoniam sapientissimam & modum, quo unum inservit alteri, vel aliquantum oculos & attentionem adhiberent, non nisi admiratione summa singula introspicere possent. Verum etenim, quod emphatice Hieropsal-

tes; Pf. XIX. v. 1. **השמים מספרים כבוד-א-ל**
 :ומעשה יריו מגיד הרקיע: i. e. coeli enarrant vel
 potius, clare & indefinenter quovis die ac hora
 omnique velut impensa opera testantur, adeoque
 omnem mundi incolam permovere satagunt, ad
 agnoscendam gloriam Dei. Et opus manuum ejus
 indicat firmamentum: ex emphasi vocis Hebrææ
מגיד veluti coram, libere, clare & perspicue, quo-
 modo annunciari solent ea, quæ aliquis præfens
 intuitus est. cf. versus sequens, ubi notitia Dei
 Naturalis ex creaturarum consideratione proflu-
 ens, fœcundæ scaturiginis instar gloriam Dei ex-
 citare, copiose ebullire, protrudere, emittere di-
 citur. vid. Gejerum ad h. l.

§. IX.

Postquam ita Deum e via jam sustulisse sibi
 videntur, ne effectus sine caussa eveniant, se-
 quitur, ut mundum ab æterno extitisse persvade-
 ant, materiamque ipsam Deum faciant: duos er-
 go potissimum, quasi axiomata, assumunt canones:
 Primum est vulgare illud: *Ex nihilo nihil fit*, & poste-
 rius: *quod nil obstet quo minus materia possit esse ab*
æterno, ens necessarium, immutabile, independens,
possit cogitare &c. quare Spinoza statim nihil aliud
 esse possibile, quam quod actu jam existit, con-
 cludit. Sed qualia fundamenta, tale quoque, quod
 iis superstruitur ædificium est. Et demonstrant
 velim prius, non vero pro dato assumant, hæc
 posse

posse in materiam cadere prædicata. Quoniam enim oriri & interire potest, contingens est, quod existere a se nequit, si ergo æternitatem habeat successiva erit; sed quia hæc impossibilis (per princ. ontol.) ergo eo minus fixam & absolutam possidet. Cōfr. in Bülf. Diluc. quæ adducit circa quæstionem: num potuerit mundus ab æterno creari? Sect. II: C. IV: §. 192-198. Et Carp. Th. Nat. §: 921. seq. Dissindere quidem se putat Spinoza hunc nodum, asserendo mutationes rerum singularium esse certos tantum modos, quibus *το πᾶν* sive natura se exprimeret; sed videat, annon istæ ad totum quoque mundum possint referri. Quod *canonem priorem* attinet, si de nihilo negativo sensus sit, veritatem luce clariorem veneramur, si vero de privativo simul, ut actu est, falsitatem ejus non possumus non detegere, quum *possibile* sit, cui ad existentiam largiendam vires infinitæ si dantur, sufficiunt, & omne contingens, quatenus omni momento mutationi obnoxium est, ut oriri & interire queat, non existentiam, sed ejus tantum non repugnantiam per essentiam suam, involvat. Neque felicius e primo motu desumptum argumentum est, quod Budd. in Lib. supr. laud. p. m. 339. ita fere assumit: Motus *aut* ab ipsa materia, *aut* ab alio principio oritur; *Si hoc*, emergit quæstio: quale id sit principium & unde ejus motus dependeat? quo ipso statim principium aliquod primum a materia diversum concedatur necesse est: *Si illud* sequeretur motum ad essentiam materiæ

pertinere, quod omnino implicat, quum inde fluat materiam semper moveri nunquam vero quiescere posse.

§. X.

(β) **S**cripturam sacram non originis divinæ, sed ex arbitrio humano & pro lubitu imperantium ob rationes politicas compositam esse statuunt, ad terrendos rudiores & plebejos, ut hac ratione facilius in officio contineri queant. Prophetiæ & apparitiones, ex eorum mente, non nisi figmenta sunt & somnia hominum superstitionum & arrogantia elatorum, quæ pro futurarum rerum præcognitionibus venditantur, ut adeo temere fides ipsis sit habenda.

Sunt vero argumenta eorum contra scripturam S. quod 1:0 ipsa ducat ad pantheismum, 2:0 contineat in se que recte rationi contradicant, 3:0 contradicant sæpe sibi ipsi, 4:0 inveniantur innumeri errores physici, historici, chronologici & alia ejusmodi, quæ intellectus eorum nequitia cuticula obductus sibi repræsentat. Primum quod concernit, provocant in primis ad locutiones: *Essentia perfectissima, A & O, quod sine initio & sine est* Apoc. 1: 8, 11. *Omnia in omnibus* Eph. 1: 23. *Illud in quo vivimus, movemur ac sumus* Act. XVII: 28. Sed patet his omnibus non nisi singulari quodam modo attributa Dei infinita ac operationes in res creatas, indigitari. Secundum objicitur præcipue ex *Libr. Josuæ C. X; 12, 13.* ut etiam ex *Jobi IX:*

IX: 7. Pf. LXXIV: 16. CIV: 19. Deutr. XXIV: 15. &c. Largimur autem Spiritum S. in quibusdam locis ad captum vulgi loqui voluisse conformiter veritati opticæ; non vero ad captum erroneum, (*).

Dum vero Scripturam 3:0 & 4:0 sæpe sibi met ipsi contradicere somniant & errores chronologicos continere, aliaque his similia; Favere sibi putant in primis loca quædam vexata e. c.

C3

de

(*) Not. Quod hoc attinet momentum, multum iis in primis recentioribus offensio fuit vanitas Theologorum quorundam veterum, dum se ejusmodi immiscuerunt rebus ac controversiis, quas non intellexerunt, quæque ad eos parum vel nihil pertinere videbantur. Exemplo esse potest *Lactantius*, vir alias suo cum honore nominandus & de religione optime meritus, qui ex Pf. CIV: 5. tam acriter nullos dari antipodes defendit, ut omnes verbi Dei hostes declararet, qui id statuant. Verba ejus adducit Cels. Walch. in *Lcx. Phil.* sub Tit. antipod. "Quid illi, qui sibi contrarios vestigiis antipodes putant, num aliquid loquuntur, aut est quisquam tam ineptus, qui credat esse homines, quorum vestigia sint superiora quam capita, aut ibi, quæ apud nos jacent inverfa pendere? fruges & arbores deorsum verus crescere, pluvias & nives & grandines sursum verus cadere in terram, & miratur aliquis hortos pensiles inter septem mira narrari, cum Philosophi & agros & maria & urbes & montes pensiles faciant". Hinc neque mirum, quod Virgilius dari antipodes existimans, statim Episcopo Bonifacio hæreticus videbatur, quare coram Papa Zacharia accusatus, cum sententiam non revocaret, dignitate privabatur.

de tempore servitutis Israëliitarum in Ægypto Gen. XV: 13. Sed optime illum exposuit Pfeifferus in Dub. vex. Loc. XL. p. m. 107. seq. ubi per CCCC. vel CCCCXXX. annos, solum tempus servitutis ægyptiacæ intelligi non posse ostendit, quatenus post mortem Josephi tandem inceperat Exod. I: 11. a quo tempore ad exitum CXLIV, anni tantum fuerunt, sed necessario totum tempus ex vocatione Abrahami seu exitu ex Haran vel ex expulsiōne Ismaëlis ad exitum ex Ægypto, includi, quum illud exacte vel CCCCXXX. vel CCCC, annos absolvat. Et hunc quoque esse sensum Act. VII: 6. Exegetæ optimi observarunt, quod eo adhuc facilius fiat intellectu, si vocabula *κατώσυσιν* & *ἔτη τετρακόσια* punctum vel comma interponendo a se distingvantur, salva tamen manente falsitate argumenti Deistarum, quatenus commata & punctationes in codice Ni Ti *ἀντογάφης* non esse ex collatione codicum vetustissimorum inventum sit.

Has argumentorum catervas miraculorum negatio ceu genuinus foetus excipit, quæ vel prorsus negant, vel ex causis tantum naturalibus evenisse adfirmant. *Spinoza* eo minus possibilia sunt, cum ipsam naturam necessariam legesque motus immutabiles faciat; *miraculum* vero pro nostra sententia sit, *eventus cujus ratio ex rerum essentia & natura legibusque, quibus hæc subicitur, reddi nequit vel in iis non continetur.* Ergo in Tract. suo Theol. Polit. expresse testatur Cap. 6.

„Quic-

Quicquid fit, id secundum leges ac regulas, quæ æternam necessitatem ac veritatem involvunt, fit. Unde ei miraculum nihil aliud est, quam effectus naturæ insolitus, cujus causam vulgus ignorat, vel, cujus causam naturalem, alterius rei insolitæ exemplo explicare non possumus, e. g. transitus Israëliitarum per mare rubrum & cetera Mosis miracula, mortuorum vero quod resuscitationem, visus restitutionem cæcis a nativitate &c. attinet, ea in totum ut absurda, negant. Sed optime jam his obviam iverunt, qui necessitatem & criteria veræ revelationis tradiderunt. Et sufficit dixisse, totum eorum systema falso isti principio, quod materia possit esse independens, immutabilis &c. superstrui, §. IX.

§. XI.

(γ) *T*ela eorum hostilia contra simplicitatem ac immortalitatem animæ directa sunt. Edificant hoc dogma hypothese, quod nulla substantia simplex sit conceptibilis, contradictorium enim esset dicere substantiam simplicem, æque ac circulum quadratum. Ab hinc ad experientiam provocant, quod repræsentationes & sensationes infantium ac brutorum inter se non differant, cum illi primum plus nil sentiant ac hæc, quare nec differentia quædam essentialis inter eos sit admittenda: Quod vero adulti paulatim cognitionis gradu ab iis differre incipiant, id, quandoquidem una

na cum corporis incremento fit, soli corporis constitutioni adscribendum sit, unde vis illa ex eorum hypothefi pro ratione variorum temperamentorum & structura cerebri, varias ac meliores melioresve fortitur operationes. Hinc cogitatio iis non est nisi *continua circumvolutio idearum in cerebro.* *William Cowardus* medicus Anglus, doctrinam Christianorum de anima, a figmentis gentilium veterum originem suam trahere, existimavit. *Tolandus* Spinozæ sectator opinionem de immortalitate animæ ab Ægyptiis ad Perfæ, ab his vero ad Romanos & alios populos Europæos, propagatam fuisse, statuit; Ægyptios vero ipsos ex vana & superstitiosa illa defunctorum adoratione, eam accepisse. Maxime pudoris transiliunt limites, qui animæ immortalitatem etiam ex Scriptura Sacra refellere se posse putant, ut ita ejus auctoritate nitentibus nodum indissolubilem objiciant. Eminent inter eos sæpe nominatus Spinoza, qui in primis adverba Salomonis Eccles. III: 19. seq. perverfas admovit manus; Sed si fontes Ebræos & accentus consulere voluerimus, patebit ad oculum, hoc loco Salomonem potius animæ immortalitatem, asserere luculentissime. Conf. *Dachfel. Bibl. Accent. p. m. 949. seq.* & auctores ibidem allegatos. Et qua quæso ratione aliud heic intendere potuisset vir sapientissimus, qui Cap. XII: 7. animam rursus ad Deum, corpus vero ad terram reverti docet; fieri certe non potuit ut tam aperte sibi contradicere voluerit, is, quem neque Athei homi-

hominem fuisse summa sapientia præditum, inficiantur. Præterea quoque Gen. II: 7. anima מַשְׁמַת הַיָּמִים expresse vocatur, & formatio hominis, ut toto cælo a ceterorum animalium diversa describitur C. I: 20, 24. Alias omnem atheorum doctrinam de anima, prouti ipsa systemata, ad quatuor classes, redigere solent Philosophi: I:o Quod sit guttula essentiæ divinæ, sive animæ mundi, ad quam post discessum a corpore revertetur, quæ *Stoicorum* & *Platoniorum* erat opinio, II:o Sit materia subtilissima, una cum corpore periens, ex *Epicureorum* placitis, III:o Unicus sit intellectus, per omnia diffusus, qui in hominibus operetur uti contendebant *Aristotelici* & IV:o denique certa vis ac constitutio ex mechanismo & structura corporis, quæ vel cum corpore periret, vel quod Spinozæ arrisit, ut certa modificatio naturæ, anima vocata, amplius esse desineret, in ipsum vero principium, h. e. naturam resolveretur. Evolve Budd. Thef. de Ath. & superst. p. 236.

§. XII.

AD argumentum jam III:m & ultimum pro stultitia Atheorum fidem liberaturi, devolvimur, quod ex hypothesi eorum, ceu medio absurdo & inconvenienti felicitatem intentam obtinendi, desumimus §. III. Experientia edocti novimus, in omnibus animantibus & præcipue in homine ut rationali, esse nisum quendam connatum, quem *studium se ipsum conservandi sive appetitum naturalem*
D
appet-

appellamus §. IV. atque hoc studium uti essentialē ita inseparabiliter semper adest in anima, ut nihil suscipere queat homo, quo ipso conservacionem sui non intendat, imo, eo ipso momento, quando de perfectione sua errat, id, de quo errat non expetiturus fuisset, nisi idem ad suam perfectionem pertinere putasset. Nititur hoc ipso generalis illa animæ nostræ *lex, quod nihil appetamus nisi sub ratione boni & nihil aversemur nisi sub ratione mali.* Nunquam ergo quoad ipsum finem, maxime tamen quoad media eundem consequendi, peccare solemus. Hinc quoque athei felicitatem quidem se quærere putant, etsi longissime ab ea distent, media convenientia non adhibentes. Postquam enim ex natura sua corrupta, affectuum, repræsentationum sensualium &c. prædominantia, rectum rationis usum examenque bonitatis vel pravitatis actionum sæpius negligentes, *servi morales* fiunt, voluntatem se corrigi nolentem §. III. pro norma actionum assumunt, ut in omnibus, quæ hæc jucunda iis sistit beneplacitum habeant, voluptatemque & gaudium sibi creent. Est vero *status gaudii ac voluptatis perdurabilis, felicitas*: ergo quoniam eam intendunt, potius omnia impedimenta tollere, quam se ipsa privari, volunt. Inveniunt vero appetitus suos legi ac voluntati alicujus supremi Judicis contrariari, adeoque eum infensum reddi, & proinde non nisi pœnam & ultionem expectandam esse: Ergo, ne ejusmodi timore tranquillitatem mentis turbari videant, acceden-

cedente adhuc ambitione, voluntate se ipsum non corrigendi & gloriae inventionis cupiditate, statim *Legem Naturalem*, imo ipsum Deum, remove re conantur, & animam mortalem faciunt, quæ nec præmia nec pœnas vereri opus habeat; Sed quam vanum & inconueniens hoc sit medium obtinendi felicitatem, tam ex fine Legis Nat. quam summa eorum imprudentia patebit. Cyclopibus similes sunt, de quibus in perniciem propriam Jovi bellum inferentibus, fabulantur Poëtæ.

§. XIII.

CUM enim ex omni actione vel in se vel cum circumstantiis spectata certa semper sequantur consecretaria, atque ex illis si consentiant cum statu nostro, perfectio, sin minus imperfectio oriatur. Lex vero Nat. sit voluntas Divina in natura manifestata, cui actiones nostras liberis conformare obligemur, & finis ejus, summa nostra felicitas, patet eam solummodo per ejus custodiam acquiri posse. Nam si quis observat 1:0 Officia erga se ipsum, nihil est, quod respectu sui tædium excitet, 2:0 erga proximum, semper conscientiam bonam habet & 3:0 Erga Deum, neque eum ceu Judicem rigidum veretur, sed tranquillitate animi gaudet, & quoniam in hac vita semet omnia bona consequi minime posse videt; futuram expectat, in qua reliqua se obtinere credit. Et si vel maxime in hac sententia & nisu fallatur, tamen nullum periculum inde oriundum timet; licet enim nullus post hac
boni

boni remunerator daretur, in ipsa virtute sua optimam habet mercedem, nec ullus mali vindex ipsi esset metuendus. Atheus vero horum omnium nihil sibi polliceri potest, nullam legem, nullum Deum agnoscens, nulla præmia expectat; at nihilominus aliquando sibi repræsentat, quod si in opinione fallatur, se Deum non alium, quam hostem infensissimum & scelerum vindicem justissimum, habiturum. Adeoque cum ita sæpe ad hæsitacionem perducatur §. VI. *maxime imprudens est, dum illud non eligit, ex quo minus malum sequeretur, si deceptus foret.* Ille cum ex innumeris omnium rerum vicissitudinibus nihil constans & perpetuum esse perspiciat, & ne ipse quidem quamdiu hac vita fruatur, sciat; attamen, quasi nullum adesset periculum, in summa securitate vivat; sequitur *maxime incautum esse atheum.*

§. XIV.

Subordinare media ad finem intentum convenientia, *Sapientia* est, ergo, opposita ratione, subordinare media inconvenientia, *Stultitia* absolvit. *Athei*, quoniam & imprudentes & incauti sunt §. XIII. *media ad finem obtinendum convenientia subordinare non possunt:* Adeoque *Stulti sunt.* πάντα ergο δοιμάζετε τὸ καλὸν κατέχετε.

1. Thessal. V: 21.

S. D. G.

